in temporalibus negotijs prestet: maximè uero tanquam Elector, et una ex principijs Sacri Imperij Columnis, nobiscum una cum alijs Electoribus in grauissimis difficillimisq. eiusdem Imperij negotijs tractandis adiumento esse posset.

Et si quidem nobis persuaderemus, unum aliquem ex illis dictis circunstantijs ornatum, et qui hanc suscipere esset paratus inuenirj posse, nihil eo gratius nobis foret, optimumq. iudicaremus, ut in nostri Domini ad talem Dominum, et Archiepum secundum Canones eligendum conuenirent: qui, et Spiritualibus, et in temporalibus officio suo Archiepiscopali satisfaceret tot Clero cum ueneratione et nostrae antiquae veraeq. Catholicae Religionis conseruatione pro Sacri Romani Imperij, et rerum communi, et priuata utilitate sufficienter praestare posset: maximè uero ijs ita constitutis ut S. S.tas nullam ulterius de confirmatione conferenda faciat difficultatem: et nos etiam in dondis regalibus nullum Imperdimentum sentiamus.

Quod si uero nominem ex suis, qui hoc onus esset suscipturus etiam si idoneus ad id uideretur fuerint possunt (quod tamen minimè speramus) ac ob id ad aliquam postulationem (secundum tamen Capituli sui antiquas ligas priuilegia, et Statuta) necessariò discendendum esset; nos in hac ipsa paterna quadam sollicitudine mosi, et rem diligentius considerantes, unum aliquem pro rationibus huius negocij nominare possumus, non quidem ordinem hunc uel illum deligendi praeuertendo, clementem tantum, et paternum animum declarando.

Est autem illis probè notum quam nobilis praeclara Baronum familia Dnus. in Cbro Pd. D. Otto. S. R. E. Card.lis Episcopus Albanen., et Augustanus Praecep.tus de Wangen nobis ... laudatis dilectus, sit procreatus: quam etiam Christianae ac religiosae uitae, non uulgaris eruditionis et experientiae, non in sacris litteris solum, uerum etiam in omnib. Ecclesiasticis, et temporalibus negotijs. Item quanti S. Cae. apud Pont. Max. fiat, idemq. ita constitutus sit, ut ... illi, et pene oppressus Capitulo opem facile ferre, illudq. quemadmodum etiam Capitulum Augustanum, aere alieno quo grauissimè premebatur planè liberauit, restaurare posset. Ad haec tum in illo experiri animum, ut necessitatib. Coloniensis Capituli subuenire non mediocriter sit propensus. Vt interim taceam hisce nostris temporibus non facile talem personam, tali ... ortam, sicq. uirtutum ornamentis praeditam inuenirj posse, qua non minimum emolumentum quo dictum Capitulum tanto aere alieno uix liberaretur afferet. Nihil etiam dicam dictum Ill.mum: à Capitulo de Wangeni, item ex Hispania, et ex originatione Episcopatus Augustani non

non mediocrem pensionem quotannis obtenturum: quod maximè ex re esse Capituli Coloniensis uidebitur.

Qua propter temperiùs, et paternè considerantes, si ordinaria electione non succedente dictum Sunc. Cardinalem postularent, iudicaremus Capitulo illi optimè prouisum: atq. ita iam non tantum eis illum, ut dignum offerimus, sed etiam mediorem in modum ut possumus commendamus: rogando, uelint eum sibi cordi esse cum possit S. Cae. necessariò petendam confirmationem à Summo Pont. gratis impetrare. Et ea pecunia quae ab alio Archiepiscopo non sine magno grauamine Capituli esset persoluenda, retineri, et in alios usus conuertj.

Demum ad omnes istas utilitates, quae hanc postulationem consequuntur, etiam illa non contemnenda accedet, dictum Ill.mum Card.lem iam inde ferè à pueritia, non apud nos solum, verum etiam apud Summum Pontificem amicum, et Patrem Regem Hispaniarum cuius inferioris Burgundiae fines huius Archiepiscopatu disterminantur, praeclaram sibi existimationem peperisse: quod eidem quoq. Archiepiscopatui maximo emolumento futurum esset.

His itaq. et alijs rationibus ad eam rem facientibus, ac nostra commendatione pro sua prudentia, non publicè solum uerum etiam priuatim uti nouerint: ad quod nostrae credentiales litterae plurimum conferent: cauent autem ne uel minimam suspicionem dent quasi uellemus hac nostra commendatione antiquis laudabilibusq. ordinationibus, Statutis, uel priuilegijs sui Capli. uel in minimo derogare: sed sicuti non sumus huius animj, ita nec audire cupiemus, ex illegitima aliqua electione uel Postulatione dicto Capitulo maiores adhuc difficultates allatas. Quae omnia copiosius nostri Commissij. pro concessa sibi facultate in praesenti negocio cognouerint expedire, et in his litteris non fuit expressum, sicuti nobis benignè persuademus, diligenter ea gerentur.

Omnia autem quae tunc. in hoc negotio acta fuerint, tam in principio qs in progressu usq. ad finem, quaeq. alia ad rem spectabunt, et in quo Status res uersetur, ijdem nobis subindè, et sine mora per Cursorem significabunt, de ijsq. nos certiores facient. In his omnibus nostram clementem, et benignam uoluntatem exequentes. Datae Viennae 20. Septemb. Anno M. D. LXXVij.